



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Honorii || Avgvstodvnen-||sis Ecclesiae Presbyteri De ||  
Praedestinatione Et Libero Ar-||bitrio Dialogus, nunquàm  
antehac || typis expressus**

**Honorius <Augustodunensis>**

**Köln, 1552**

**VD16 H 4771**

Sententiae Ex Libris B. Avgvstini De Praedestinatione Sanctorum, & Bono  
perseuerantiae, quibus ad superiores epistolas respondetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29827**

**SENTENTIAE EX**  
LIBRIS B. AVGVSTINI DE PRAE  
destinatione Sanctorum, & Bono perseverantia,  
quibus ad superiores epistolas responderetur.

Capite II.



Rius fidem, qua Christiani sumus, donū  
Dei esse debemus ostēdere, si tamen dili  
gentius id facere possumus, q̄ in volumi  
nibus tot tantisq; iā fecimus. Sed nunc eis respon  
dendum esse video, qui diuina testimonia, quę de  
hac re adhibuimus, ad hoc dicūt valere vt noueri  
mus ex nobis quidē nos habere ipsam fidem, sed  
incrementū eius ex Deo, tanquā fides nō ab ipso  
donetur nobis, sed ab ipso tamen augeatur in no  
bis eo merito, quo cōp̄it a nobis. Non ergo rece  
ditur ab ea sentētia, quā Pelagius ipse in episcopa  
li iudicio Palæstino, sicut eadem gesta testantur,  
damnare cōpulsus est, gratiam Dei secundū me  
rita nostra dari, quasi nō pertineat ad Dei gratiā  
quod credere cōp̄imus, sed illud potius q̄ pro  
pter hoc nobis additur, vt plenius perfectiusq; cre  
damus, ac per hoc initiū fidei nostrę priores da  
mus Deo, vt retribuat nobis & supplementum  
eius, & si quid aliter fideliter poscimus. Sed cōtra  
**Rom. II** hęc, cur nō potius audimus, Quis prior dedit illi  
& retribuet ei: quoniā ex ipso, & per ipsum, & in  
ipso sunt omnia. Et ipsum igitur initiū fidei no  
strę ex quo nisi ab ipso est? Neq; em̄ hoc excepto  
ex ipso sunt cætera, sed ex ipso, & per ipsum, & in  
ipso sunt omnia. Quis autē dicat eum qui iam cō  
p̄it cre-



## BEATI AVGVSTINI.

pit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri.  
Vnde fit vt iam merenti cætera dicantur addire-  
tributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secun-  
dum merita nostra dari. Quod obiectum sibi Pe-  
lagius ne damnaretur, ipse damnauit.

Eodem Capite.

Cauendum est fratres dilecti, ne homo se extol-  
lat aduersus Deum, cum se dicit facere quod pro-  
misit Deus. Nonne fides gentiū pmissa est Abrahe, **Roma. 4.**  
& ille dans gloriā Deo, plenissimè credidit, quo-  
niam qui promisit, potens est & facere? Ipse ergo  
fidem gentiū facit, qui potēs est facere quod pro-  
misit. Porro si operetur Deus fidem nostram, mi-  
ro modo agens in cordibus nostris vt credamus  
nunquid metuendū est, ne totum facere nō pos-  
sit, & ideo homo primas eius vindicat partes, vt  
nouissimas ab illo acciperē mereatur? Videte si  
aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundū  
merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia  
non sit gratia.

Paulo pōst.

Cur aut non totū tribuatur homini, vt qui sibi  
potuit instituere quod nō habeat: ipse quod insti-  
tuit, augeat, omnino nō video, nisi quia resisti nō  
potest diuinis manifestissimis testimonijs, qui-  
bus & fides, vnde pietas exordium sumit, donum  
Dei esse monstrat. Quale est illud: quod vnicuique **Rom. 12.**  
Deus partitus est mensuram fidei. Et illud: Pax  
fratribus & charitas cum fide à Deo patre, & do- **Rom. 1.**  
mino Iesu Christo, & cætera talia. Nolens ergo  
his tam claris testimonijs repugnare, & tamen  
volens



## SENTENTIAE EX LIB.

### CAP. III.

Epist. ad  
Quir.

volēs à seipso sibi esse quod credidit homo quasi componat cum Deo, ut partem sibi fide vendicet, atq; illi partem relinquat: & quod est clarius, primam tollit ipse, sequentē dat illi, & in eo quod dicit esse amborū, priorem se facit, posteriorem Deum. Non sic pius atq; humilis doctor ille sapiebat Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit: In nullo gloriandum, quando nostrum sit. Quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem, Quid autem habes quod non accepisti: si autē accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quo præcipue testimonio etiā conuictus sum cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus tēperanter, & iustē & piē vivamus in hoc seculo. Neq; enim fidem Dei gratia præueniri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus vtiliter, nisi quia credere non possemus si nō præcederet preconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse propriū & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante episcopatum meum scripta.

### CAPITE V.

Vbi dicitur: Quis enim te discernit? Quid autē habes quod non accepisti? quisquis audet dicere, habeo ex meipso fidem, non ergo accepi, profecto contradicit huic apertissime veritati, nō quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à domi-



## BEATI AVGVSTINI.

à domino. Ideo ad ipsam quoque fidem quæ in voluntate est pertinet. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt, volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, discernendum est utique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio. Quod quærebat Israhel, ait Apostolus, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant usque in hodiernum diem. Et David dicit, Fiat mensa eorum in laqueum, & in venationem, & in scandalum, & in retributionem illis obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Ecce misericordia & iudicium, misericordia in electione, quæ consecuta est misericordiam Dei, iudicium vero in cæteros qui excæcati sunt, & tamen illi qui voluerunt, crediderunt, Illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt.

Psalm. lxxviii.

### Idem Capite VII.

Et iam fides non ex operibus, inquit Apostolus, ne forte quis extollatur, solet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat, Nam quomodo inuo-



## SENTENTIAE EX LIB.

**Psal. 126** inuocabat in quem non crediderat. Sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus: quamuis nisi dominus ædificauerit domū, in uanum laborauerunt ædificantes eam. Et dicitur à vobis, fides est à nobis, cætera à domino ad opera iusticiæ pertinentia, quasi ad ædificandum nõ pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum. Quod si in primis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ædificās fidem, nisi eam dominus miserando intrus ædificet. Quicquid igitur & antequā in Christum crederet, & cum crederet, & cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totū Deo dandum est, ne forte quis extollatur.

Ibidem.

**Ioan. 6.** Omne quod dat mihi pater ad me veniet. Quid est, ad me veniet, nisi credet in me? Sed ut fiat, pater dat. Item paulò post, Nolite, inquit, murmurare inuicem, nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum: & ego eum resuscitabo in nouissimo die. Est scriptū in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Quid est, omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me, nisi nullus est qui audiat & discat à patre & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit à patre & didicit, venit: profecto omnis qui non venit, non audiuit à patre, nec didicit, nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim vllus audiuit



## BEATI AVGVSTINI.

diuit ac didicit & non venit: sed omnis, vt ait veritas, qui audiuit à patre & didicit, venit. Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua pater auditur, & docet vt veniatur ad filium.

Hæc itaq; gratia quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde recipitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur & docet vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut propheta prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis & vasa misericordiæ quæ preparauit in gloriam. Cur ergo non omnes docet, vt veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet, misericordia docet, quos autem non docet, iudicio non docet: quoniã cuius vult miseretur, & quem Rom. 9. vult obdurat: sed miseretur, bonum tribuens, obdurat digna retribuens.

Et tamen secundum quendam modum omnes pater docet venire ad suum filium. Non enim frustra scriptum est in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Quod testimonium cum præmisisset, tunc subdidit, Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Sicut ergo integrè loquimur, cum de aliquo literarum magistro, qui in ciuitate solus est, dicimus: omnes iste hic literas docet: nõ quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicūq; ibi literas discit, ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.

Cur



## SENTENTIAE EX LIB.

Rom.9.

Cur autem non omnes doceat, aperuit Aposto-  
lus, quantum aperiendum iudicauit, quia volens  
ostendere iram, & demonstrare potentiā suam,  
attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta  
sunt in perditionē, & vt notas faciat diuitias glo-  
riæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in  
gloriam. Hinc est quod verbum crucis pereunti-  
bus stultitia est, his autem qui salui fiunt, virtus  
Dei est.

CAP. IX.

Cum igitur Euangelium prædicatur, quidam  
credunt, quidam non credunt, sed qui credunt,  
prædicatore forinsecus sonante, intus à patre au-  
diunt atq; discunt, qui autem non credunt, foris  
audiunt, intus non audiunt neq; discunt, hoc est,  
illis datur vt credant, illis non datur, quia nemo,  
inquit, venit ad me, nisi pater qui misit me traxe-  
rit eum, quod apertius postea dicitur. Propterea  
dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi ei  
fuerit datum à patre meo. Ergo trahi à patre ad  
Christum, & audire & discere à patre vt veniat ad  
Christum, nihil aliud est, quam donum accipere  
à patre, qui credat in Christum. Neque enim au-  
dientes Euangelium à non audientibus, sed cre-  
dentes à nō credentibus discernebat qui dicebat,  
Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre  
meo. Fides igitur & inchoata & perfecta donum  
Dei est, & hoc donū quibusdam dari, quibusdam  
non dari omnino non dubitet, qui non vult ma-  
nifestissimis sacris literis repugnare. Cur autem  
non omnibus detur, fidelem mouere non debet,  
qui credit ex vno omnes esse in cōdemnationem  
sine



## BEATI AVGVSTINI.

sine dubitatione iustissimam, ita ut nulla Dei esset iusta reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam quod plurimi liberentur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscunt: ut qui gloriantur Hier. 9.  
non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in domino gloriantur. Cur autem istum potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Rom. II.

### Idem Capite XI.

Sanè cum Apostolus dicat: Ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio, miror homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquit, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de te ipso certa est, nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cum igitur utraque Rom. 4.  
incerta sit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? Sed cum dicitur, inquit: Si credideris saluus eris, unum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate. Cur non utrumque in Dei est, & quod iubet & quod offertur? Rogatur enim ut det quod iubet, rogant credentes ut sibi augeatur fides: rogant pro non credentibus ut eis donetur fides, ut & in suis incrementis, & in suis initijs Dei donum sit fides. Sic autem dicitur: Si credideris, saluus eris, quemadmodum dicitur, Si spiritu facta carnis mortificaveritis, viuetis. Nam & hic ex duobus unum exigitur, alterum offertur, Si spiritu, inquit, facta carnis E mortifi-



## SENTENTIAE EX LIB.

mortificaueritis, uiuetis. Vt ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur: vt autem viuamus, offertur. Num igitur placet, vt facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur: quoniam exigi audiuius à nobis præmio vitæ si hoc fecerimus, oblatos?

Ibidem.

Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur & dona Dei esse monstrantur, vt intelligatur quod & nos ea facimus, & Deus facit, vt illa faciamus, sicut per prophetam Ezechielem apertissime dicit: quid enim apertius, quàm ubi dicit, Ego faciam vt faciatis?

## Idem Cap. XII. & XIII.

Iudicari quenque non solum secundum merita quæ habuit quamdiu fuit in corpore, sed secundum merita quæ fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore: vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestre indicant literæ, mirans & stupens reperire non possum, nec credere auderem, nisi vobis non credere, non auderem: sed spero adfuturum Deum vt commoniti cito videant ea quæ dicuntur futura fuisse peccata, si per Dei iudicium in nō baptizatis possunt iure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis posse dimitti. Quicumque enim dicit puniri tantum posse, Deo iudicante futura peccata, dimitti autem, Deo miserante, non posse, cogitare debet quantam Deo faciat gratiæque eius iniuriam,



## BEATI AVGVSTINI

riam, quasi futurum peccatum prænoscī possit,  
 nec possit ignosci. Quod si absurdum est, magis  
 ergo futuris si diu viuerent peccatoribus, cum in  
 parua ætate moriuntur, lauacro quo peccata di-  
 lūuntur, debuit subueniri. Quod si forsitan dicūt  
 pœnitentibus peccata dimitti, & ideo istos non  
 baptizari in paruula ætate morientes, quia præ-  
 sciti sunt, pœnitentiam si viuerent non acturos:  
 eos autem qui baptizantur & paruuli de corpō-  
 ribus exeunt, Deum præscesse acturos pœniten-  
 tiam fuisse si viuerent, attendant & videant si ita  
 est, non iam in paruulis sine baptismo morien-  
 tibus peccata originalia vindicari, sed sua cuiusq;  
 futura si viueret. Item baptizatis non origina-  
 lia dilui, sed sua futura si viuerent, quoniam non  
 possent nisi in maiore ætate peccare, sed alios  
 acturos pœnitentiam, alios non acturos fuisse  
 prauis, ideoq; alios baptizatos, alios sine ba-  
 ptismo exisse de hac vita. Hoc si audierint Pela-  
 giani, non iam laborarent negando originale  
 peccatum, & quærere paruulis extra regnum Dei  
 nescio cuius suæ felicitatis locum: maximè quan-  
 do conuincuntur, non eos posse habere vitam  
 æternam, qui non manducauerunt carnem, nec  
 biberūt sanguinem Christi, & quia in eis qui nul-  
 lum habēt omnino peccatū, falsus est baptismus  
 qui in remissionem traditur peccatorū. Dicerent  
 enim prorsus nullū esse originale peccatum, sed  
 pro suis futuris si viuerent meritis, vel si baptizari  
 vel nō baptizari eos qui de corpore soluuntur in-  
 fantes, & pro suis futuris meritis eos vel accipere

CAP. XIII

E 1 vel



## SENTENTIAE EX LIB.

vel non accipere corpus & sanguinem Christi, si ne quo vitam prorsus habere non possunt, & in vera remissione peccatorum baptizari, quamuis nullum ex Adam traherent: quoniam remittuntur eis futura peccata, de quibus illos Deus poenitentiam praesciuit acturos.

Idem Capite XIII.

Scripsit librum de mortalitate Cyprianus, multis ac penè omnibus qui ecclesiasticas literas amant laudabiliter notum, in quo propterea dicit nō solum non esse fidelibus inutilem mortem, verum etiam utilem reperiri, quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitatem constituit. Sed quid prodest si etiam futura quæ commissa non sunt, peccata puniuntur? Ait tamen ille copiosissimè atq; optimè, peccandi pericula nec deesse in ista vita, nec superesse post istam. Vbi & illud testimonium ponit de libro Sapientiae: Raptus est, ne malicia mutaret intellectū eius. Quod à me quoq; positū, fratres istos ita respuisse dixistis, tanquam non de libro canonico adhibitum: quasi & excepta huius libri attestatione res ipsa non clara sit, quam volumus hinc doceri. Quis enim audet negare Christianus, iustum si morte praecipitatus fuerit, in refrigerio futurum? Quilibet hoc dixerit, quis homo sanæ fidei resistendum putabit? Item si dixerit iustum si à sua iusticia recesserit, in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus, in qua nō dico vnum annū, sed vnum diem duxerit, in poenas iniquis debitas hinc iturum: nihil sibi præteritam suam iusti.

Sap. 4.

Eze. xviii



## BEATI AVGVSTINI.

iusticiam profuturam, huic perspicuæ veritati, quis fidelium contradicit? Porro si quærat a nobis, utrum si tunc esset mortuus quando erat iustus, pœnas esset inuenturus an requiem, nunquid requiem respondere dubitamus? Hæc est tota causa cur dictum est, a quocunque sit dictum: Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius. Dictum est enim secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto: non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.

Ibidem.

Certè enim si de diuinarum scripturarum tractatoribus qui fuerunt ante nos, proferam defensionem huius sententiæ, quam nunc solito diligentius atq; copiosius contra nouum Pelagianorum defendere vrgemur errorē, hoc est, gratiam Dei nō secundum merita nostra dari, & gratis dari cui datur, quia neq; volentis, neq; currentis, sed Rom. 9 miserentis est Dei, iusto autem iudicio non dari cui nō datur, quia non est iniquitas apud Deū. Si huius ergo sententiæ defensionem ex diuinorum eloquiorū nos præcedentibus catholicis tractatibus promeremus, profecto hi fratres, pro quibus nunc agimus acquiescerent, hoc enim significastis literis vestris. Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula qui priusquam ista hæ-

E 3      resis



## SENTENTIAE EX LIB.

resis oriretur, nō habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione versari, quod proculdubio facerent si respondere talibus cogerentur? Vnde factum est, vt de gratia Dei quid sentirent breuiter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent, immorarentur vero in eis quæ aduersus alios inimicos ecclesiæ disputabāt, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo viuo & vero pro adipiscenda vita æterna & vera felicitate seruitur, frequentationibus aut orationibus simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret. Non enim poscerentur à Deo quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur vt fierent.

Ibidem.

Quocirca non debent fratres nostri qui nobiscum pro catholica fide perniciem Pelagianæ erroris impugnant, huic Pelagianæ iurantum fauere opinioni, qua opinantur gratiam Dei secundum merita nostra dari, vt quod illi audere non possunt, sententiam veram planè & antiquitus Christianam, Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, destruere moliantur, & id astruere quod non dico crediturum, sed somniaturum neminem putaremus, secundum ea scilicet iudicari quenquam mortuorum, quæ gesturus fuerat, si tempore prolixiore vixisset. Ita quippe claret inuictum esse, quod dicimus: Gratiam Dei non secundum merita nostra dari, vt huic veritati contradicentes ingeniosi homines, hæc ab omnium



## BEATI AVGVSTINI.

omnium auribus & cogitationibus abigenda dicere cogerentur.

### Capite XV.

Est autem præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse saluator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparauit.

### Ibidem.

Apparet itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, unde secundum vniuscuiusque mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus, de ipso spiritu & hic renatus, de quo est ille natus, eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est ut nullum haberet ille peccatum, Hæc se Deus esse facturum profecto præsciuit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in sancto sanctorum maximè claruit, quam negare quis potest rectè intelligentium eloquia veritatis.

### Capite XV. & XVI.

Ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum, ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Iesu, qui fecit hominem, principem fidei & perfectorem Iesum: sic enim est appellatus, ut scitis, in epistola quæ est ad Hebræos. Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat mem-

CAP. XVI



## SENTENTIAE EX LIB.

1. Cor. 1.

Roma. 9

1. Ioan. 2

Ioan. 15.

bra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione qua vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias. Illa quippe vocatione Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & gentes quibus Christus crucifixus stultitia est, sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens, Ipsis vocatis Iudæis & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Sic enim ait, Ipsis autem vocatis, ut illos ostenderet non vocatos, sciens esse quandam certam vocationem eorum qui secundum propositum vocati sunt, quos præsciuit & prædestinauit conformes imaginis filij sui. Quam vocationem significans ait, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori. Nunquid dixit: Non ex operibus, sed ex credente? prorsus etiam hoc abstulit homini, ut totum daret Deo.

### Capite XVI. & XVII.

Omnes docibiles Dei veniunt ad Filium, quoniam audierunt & didicerunt à patre per filium, qui euidentissimè dicit: Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Istorum autem nemo perit, quia omne quod dedit ei pater, non perdet ex eo quicquam. Quisquis ergo inde est, omnino non perit, nec erit inde qui pereat, propter quod dictum est: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant. Hanc enim & dominus ipse satis aperit, ubi dicit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.



## BEATI AVGVSTINI.

vos. Nam si propterea electi erāt quoniā credide-  
rant, ipsi eum prius vtiq; elegerant, credendo in  
eum vt eligi mererētur. Aufert autem hoc omni-  
nō qui dicit, Non vos me elegistis, sed ego vos  
elegi. Et ipsi quidem proculdubio elegerūt eum  
quando crediderunt in eum. Vnde non ob aliud  
dicit, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, nisi  
quia non elegerunt eum, vt eligeret eos, sed vt eli-  
gerent eum, elegit eos, quia misericordia eius prę-  
uenit eos secundum gratiam, non secundum de-  
bitum. Elegit ergo eos de mundo cum hic ageret Eph. 1  
in carne, sed iam electos in seipso ante mundi cō-  
stitutionem. Quod profectō si propterea dictū  
est, quia pręsciuit Deus credituros, non quia fa-  
cturus fuerat ipse credentes, contra iitām pręsciē-  
tiam loquitur filius, dicens: Non vos me elegistis,  
sed ego vos elegi, cū hoc potius pręscierit Deus,  
quod ipsi eum fuerant electuri, vt ab illo mererē-  
tur eligi. Electi sunt itaq; ante mundi cōstitutio-  
nem, ea prędestinatione in qua Deus sua futura  
facta pręsciuit: electi sunt autem de mundo ea  
vocatione, qua Deus id quod prędestinavit, im-  
pleuit. Quos em̄ prędestinavit, ipsos & vocauit,  
illa scilicet vocatione secundū propositū, nō ergo  
alios, sed quos prędestinavit, ipsos & vocauit:  
nec alios sed quos ita vocauit, ipsos & iustificauit:  
nec alios, sed quos prędestinavit, vocauit, iustifi-  
cavit, ipsos & glorificauit, illo vtiq; fine qui nō ha-  
bet finem. Elegit ergo Deus fideles, sed vt sint, nō  
quia iam erant.

Capite XIX.

E v Sed



## SENTENTIAE EX LIB.

Sed hi nostri de quibus vel pro quibus nunc agimus, forsitan dicunt, Pelagianos hoc apostolico testimonio refutari, vbi dicit, ideo nos electos in Christo & prædestinatos ante mundi constitutionem, & essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Ipsi enim putant, acceptis præceptis, iam per nos ipsos fieri libero voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos, in conspectu eius in charitate, quod futurum Deus quoniam præsciuit, inquit, ideo nos ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit in Christo, cum dicat Apostolus: Non quia futuros tales nos esse præsciuit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificauit nos in dilecto filio suo: cum ergo nos prædestinavit, opus suum præsciuit, qui nos sanctos & immaculatos facit. Vnde rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur. Nos autem dicimus, inquit, nostrum Deum non præscisse nisi fidem qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem ac prædestinasse, ut iam sancti & immaculati gratia atque opera eius essemus. Sed audiât & ipsi in hoc testimonio, vbi dicit, Sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniuersa operatur. Ipse ergo ut credere incipiamus operatur, qui vniuersa operatur, vocationem quippe illam de qua dictum est, Sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei, de qua dictum est, Non ex operibus, sed ex vocante cum posset dicere, sed ex credente, & electionem quam significauit dominus, dicens, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, nec



## BEATI AVGVSTINI.

gi, nec fides ipsa præcedit, Non enim quia credimus, sed ut credamus elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur, falsumque sit, quod absit: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Nec quia credimus, sed ut credamus vocamur, atque illa vocatione quæ sine poenitentia est, id prorsus agitur & peragitur ut credamus.

### Capite XX.

Veruntamen redeamus ad ostij apertionem, qua initium fidei audientium significauit Apostolus. Quid est enim, Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi, nisi apertissima demonstratio etiam ipsum initium fidei, esse donum Dei? Non enim orando peteretur ab eo, nisi ab ipso tribui crederetur. Hoc donum celestis gratiæ in illam purpurariam descenderat, cui sicut scriptura dicit in actibus Apostolorum, Act. 16.  
Deus aperuerat sensum eius, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur, sic enim vocabatur ut crederet. Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum vel adiuuando, vel iudicando, ut etiam per eos impleatur quod manus eius & consilium prædestinavit fieri. Frustra itaque etiam illud, quod Regnorum & Paralipomenon scriptura teste probauimus, cum Deus vult fieri, 1. Reg. 13.  
quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda ut hoc velint, eo scilicet inclinante qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle ad causam de qua disserimus, non pertinere dixerunt. Quid enim est aliud, nihil dicere & tamen contradicere, nisi forte  
cur



## SENTENTIAE EX LIB.

Cur eis hoc visum sit, rationem vobis aliquam reddiderunt, quam vos in literis tacere maluistis: Sed quæ illa esse possit ignoro. An fortè quia ostendimus hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse, quorum ei placuit voluntates, ut rex constitueretur Saul siue David. Ideo hæc exempla causæ huic conuenire non putant, quoniam non hoc est temporaliter regnare in hoc seculo, quod est in æternum regnare cum Deo, ac per hoc existimant ad regna terrena facienda Deum inclinare, ad regnum verò cœleste obtinendum, Deum non inclinare quorum voluerit voluntates: Sed puto propter regnum cœlorum, nō propter regnum terrenum esse dictum, Inclina cor meum in testimonia tua, vel, à domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet. Vel, Paratur voluntas à domino. Vel, Fiat dominus noster nobiscum, sicut erat cum patribus nostris, non derelinquat nos, nec auerrat nos à se: inclinet corda nostra ad se, ut eamus in omnibus vijs eius. Vel, Dabo eis cor aliud, & spiritum nouum dabo eis. Audiant etiam illud, Spiritum meum dabo in vobis, & faciam ut in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Audiant, A domino diriguntur gressus viri, mortalis autē quomodo intelliget vias suas: Audiant, Omnis vir videtur sibi metipso iustus, dirigit autem corda dominus. Audiant, Crediderunt quorquor erant ordinati in vitam æternam. Audiant & hæc alia quaecunque non dixi, quibus ostenditur Deus ad regnum etiam cœlorum, & ad vitam æternam parare

Psal. 118

Psal. 56

3. Reg. 8

Eze. 36.

rare,  
tate  
regi  
& ad  
oper

S



si no  
ait, V  
creda  
Hor  
ad fi  
trunc  
iam  
stian  
liore  
tinet  
est co  
augr  
re do  
tem  
done  
sto, a  
Chri



## BEATI AVGVSTINI.

rare, & conuertere hominum voluntates. Cogitate autem quale sit, vt credamus ad constituenda regna terrena, hominum voluntates operari Deū, & ad capeſcendum regnum cœlorum, homines operari voluntates ſuas.

## SENTENTIAE EX

### LIBRO SECVNDO DE

Bono perſeuerantiæ.

#### Capite I I.



Ideamus vtrū hæc perſeuerantia, de qua dictum eſt, Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit, donū ſit Dei. Quod ſi non ſit, quomodo verum eſt, quod Apoſtolus ait, Vobis donatum eſt pro Chriſto, nō ſolum vt credatis in eum, verumetiā vt patiamini pro eo? Horum quippe vnum pertinet ad initium, alterū ad finem: vtrunq; tamen eſt Dei donum, quia vtrunq; dictum eſt eſſe donatum, ſicut & ſuperius iam diximus. Quod eñ eſt initium verius Chriſtiano, quā credere in Chriſtum? Quis finis melior eſt, quā pati ꝑ Chriſto? Sed quod ad id pertinet vt credatur in Chriſtum, qualiſcunq; inuēta eſt contradicō, vt donum Dei non initium, ſed augmentum fidei diceretur, cui opinioni donante domino ſatis ſuperq; reſpondimus. Quid autem dici poteſt, cur perſeuerantia vſq; in finē non donetur in Chriſto, cui donatur pati pro Chriſto, aut vt expreſſius eloquar, cui donetur mori ꝑ Chriſto? Nam & Petrus apoſtolus donū dei hoc eſſe

Mat. 10

Philip. 1

1. Petr. 3